

Ad compingendum *Codicem* utrinque adhibita est Membrana duabus columnis exhibens Fragmenta cujusdam Commentarii Rabbinici in *Psalms*, ut videtur, caractere vetusto hebr. hispano absque punctis exarata.

CCXLIII.

R. 2002 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 168. f. per duas columnas exaratus rubricis enotatus, et quondam, ut pluribus locis, maxime verò sub Indicis calcem, legitur, *Carthusiensium orti sancte marie in praga sub monte petrino. donatus per Meynbardum de Nouadomo. Indigni domini et plebani in Telcz*, quem ne Gubernatorem *Bobemiae* a. 1449. e vivis sublatum pronunciem, τὸ *plebani* retinet, est notus, et jam *Vol. I.* a me relatus *Mammotretus*, five *Expositio Vocum* difficultiorum, quae cum in Bibliis, tum in ecclesiastico per annum Officio occurrunt, rudioribus Clericis dicata ab *Joh. Marchesino*, quem *Editio Colon. per Joh. Koelhof* 1479. 4. in *Murachisum* deformat, O. M. Primus eam prelo subjecit *Petr. Schäffer Moguntiae* 1470. in aliumque rededit ordinem, ut ipse in *Praef. ad calcem* adjecta narrat, et *Collatio* cum praesenti Codice instituta confirmat. Interim Codici nihil deest, quin uber sub finem rerum Index accessit. Prologi initium est: *Im-*

patiens proprie imperitiae ac ruditati compaciens pauperum clericorum &c. Si quid in futurum ejusmodi Operis necessitatem adduxerit, id non tam paupertas, quam Linguae latinae neglectio fuerit. Sub Prologi finem ait Autor, *Expositionem suam morem Paedagogi gerere, qui gressus dirigit Parvulorum*, atque inde *Mammotretum* adpellari posse; quod, quomodo cohaereat, non dispicio.

CCXLIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3243 XIV. Folior. 160. 8. per duas columnas non una manu, minute sed nitide descriptus, rubricis enotatus, et olim *Bibliothecae Civicae Vindobon.* sequentia continet: I. ut ad oram inferam *fol. 1.* legitur: *Notabilia super omnes libros byblie*, id est *Expositio Vocum* minus obviarum, qualem ampliore dedit *Joh. Marchesinus* O. M. in suo *Mammotretum*, ut non semel utroque *Vol.* indicavi. Praesentem porro ex illo carptam fuisse, alia manus ad Titulum mox relatum adnotavit. Initium est: *Prologus est caput compositionis uel sequentis operis praefacio. et dicta praefacio quasi prolocutio &c.* Pertinent haec ad *Hieronymi in Pentateuchum Prologos*; nam et hi delibantur. Extrema *Apocalypseos* sunt: *iuste fornicator supplicijs afficitur. Explicit liber iste. deo gratias.*

Sit bonus oro status vester, finisque beatus.

II. fol. 16. p. 2. *Compilacio Ex propheciis ioachim abbatis. Initium: Quod factum est uerbum domini ad Jeremiam temporibus siccitatis. Textus Prophetae c. 14. v. 1. habet de sermonibus siccitatis. Contuli, quae commentatus est Joachim in haec uerba, ex Edit. Veneta 1525. 4. fol. 27. et nihil eorum reperi, quae in Codice nostro sequuntur: Mistice aquarum siccitas designat exterminium populorum &c. Neque per decursum quidquam cum Editis coincidit. Unde ergo haec compilata dicemus? In Isaiae C. 30. v. 6. haec lego: Regina fuit leena. Gwiltermius primus leo. secundus uipera. heres tuus regulus uolans. Regulus in regno. uolans ad imperium. Haec de Sicilia. Si uero terra tribulacionis Alemannia. Leena fuit rex primus Henricus Alemanorum. leo fridericus. Vipera tu es Henricus (VI). regulus heres tuus (Fridericus II.) Et nota quod inter te et heredem tuum tam reg-*

*Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus.*

IV. fol. 25. *Incipit uisio cuiusdam militis de penis. Gemina Visionibus Tundali et Georgii Hungari pluries a me relatis incipit: Anno dominice incarnationis M. CC. XXXV. Regnante domino Fridrico Secundo rom. imper. Ego indignus nominari et peccator Intempeste noctis silentio factus quasi in extasi uidi quendam hominem qui apprehenso brachio meo sinistro eleuauit me de terra et duxit me*

num (Siciliae) quam imperium passurum est aborsum, quia necessarium est, ut tam ad regnum quam ad imperium surgat aliquis hinc et inde, ut more uipere parturientis uel uiparientis filii ecclesie latera matris rumpant. Qui surrexerunt hinc et inde, uideri possint hinc Marcualdus Romaniae Dux, inde Philippus Sueuus et Otto Saxo. An haec in aliquo editorum Joachimi Operum delitefcant, ignoro; non enim lubet minutim excutere Prophetam, qui Sibyllam entheam et Merlinum Silvestrum seu Cambricum uades dat.

III. fol. 21. p. 2. *Incipit praefatio super dicta Methodii episcopi et martiris. fuerunt autem ei haec reuelata a domino in carcere posito. Nil aliud est haec Praefatio, quam Caput 83. Hier. de Viris illustr. mendose scriptum, in quo ne quidem de Vaticiniis, de quorum uanitate jam Vol. I. non femel memini. Recte Poeta:*

*per regionem frigidissimam densi
aeris &c. Inter alia Descriptio Arboris diuersarum penarum.*

V. fol. 26. ἀποκατάστασις *Commentarius in Apocalypsin. Init: Apokalipsis ihesu christi quam dedit &c. Nunquid ad preceptum tuum leuabitur aquila &c. Et in exponendo hoc Jobi C. 39. v. 26—30. loco versatur prior Praefatio. Altera incipit: Omnes qui pie uolunt uiuere &c. nec tamen est Gilberti Por.*

Porretani, qui eodem initio usus est. Ipse demum Commentarius sic: *Apokalipsis ihesu christi — In hoc proemio tanguntur IIII. cause introductorie in hunc librum &c.* Tota tractatio Scholastici est, et quidem *Franciscani*; nam in C. I. v. 13. ita commentatur: *Similis ille filio hominis in medio candelabrorum VII. Sanctum Franciscum significat. — Dicitur autem sanctus Franciscus similis filio hominis id est Christo propter V. rationes. Videlicet propter conuersionis imitationem &c.* Hujus So-

dalitii *Astefanus*, *Alex. Alensis*, *D. Bonaventura*, *Johannes Anglicus*, *Gualensis*, et de *Rupella*, *Ubertin. de Casali* et *Vital. de Furno* in *Apocalypsin* commentati feruntur, sed nemo typis vulgatus praeter *Alensem*, qui ad manum non est; unde Autorem edicere non opis est nostrae. Ad calcem; *Finito libro precè reddite iura magistro.*

VI. fol. 60. p. 2. *Apocalypseos* Ostenta LXI. Versibus exposita, quorum initium:

E septem visis rebus docet apocalypsis.

Corrigit in prima, librum reseratque secunda.

Viso terna cubat, mulier quarta quoque pugnat,

Quinta tenet phialam, sexta dampnat babilonem,

Septima cuncta nouat atque beatificat.

Producunt mira septem reserata sigilla

Albus equus gayum, rufus signatque neronem,

Inde per Imperatores, Pontifices, Expeditiones in *Palaeistinam* usque

ad finem Sec. XII. fit progressio; et ita concluditur:

Tempore cunradi (III) sunt centum milia cesi.

Vidit captiuos Fridericus (I) liberat illos,

Quos uidit uiuos, regnabunt mille per annos.

A constantino nongenti suntque triginta

Completi, restant complendi septuaginta.

Celum, terra noua sequitur quoque uita beata.

Hinc noua ierusalem, cristallinum quoque flumen.

Fratrum religio flumen fluit ore docendo.

Quilibet arbitrio dimittitur, atque minatur

De prope iudicio. sit laus et gloria cristo.

Ducto igitur a *Constantini M.* anno primo calculo Versus hi compositi sunt a. 1236. cui anno si 70. addas, *Coelum* et *terra noua* sequi debuissent a. 1306. quem *Denis Codd. Theol. V. II. P. I.*

motus *Helvetici* exceperunt. Cetera Lector nullo negotio sibi exponet.

VII. fol. 61. absque titulo *Vocabularium*, five *Expositio Vocum*

cum *Biblicarum* adhibito in auxilium *Isidoro*, *Pseudomacro*, *Papia*,

*Difficiles studeo partes, quas Biblia gestat,
Pandere, sed nequeo, latebras nisi qui manifestat &c.*

et 10. aliis calci adjectis:

Hic ego doctorum compegi scripta sacrorum &c.

Retulit hos Versus e vitioso Codice *Ducangius* in Praef. *Glossarii med. et inf. Lat.* quos e meo emendare lubet. Igitur in prioribus cum lege cui, post v. 3. interpone hunc: *Dante iuuamen eo nihil insuperabile restat, haec nomina lege nisi nomina, mihi qui l. quoniam, retines hoc l. tenet hoc, scribendi l. scribenti.* In posterioribus *Praevia* lege *Praevie*, confirmator l. consummator, lux dubiorum l. dux, malorum l. laborum, egis egenorum l. Aegis, miser o quia dego *Minorum* l. numero quia dego *Minorum*. Vides hic *Sodalitium FF. Minorum*. Igitur alucinata est manus *Sec. XV.* quae *Exemplo* nostro praescripsit: *Lucianus frater ordinis S. Aug. heremitarum autor hujus opusculi.* Apage hunc *Lucianum*, quem nemo *Literatorum* novit, et reponere *Guilelmum Britonem Franciscanum*

Huguitione &c. et praemissis verbis 14. quorum initium:

Cambrum mortuum 1356. unde *Exemplum* praesens eo etiam dum vivo scribi potuit. An typis unquam editum fuerit, dubito. *Codices mss.* offerunt *Ducangius cit. Waddingus, Fabricius, Oudinus, Tannerus.* Finito hoc Opere *Nostrum* etiam *Prologos Hieronymi* eodem modo exposuisse docet alius *Codex*, quem hic illico subjunctum habes.

CCXLV.

Codex membraneus *lat. Sec. U. 178 XIV. Folior. 235. f.* non una manu perscriptus, rubricis distinctus, et teste *Nota* praevia *Collegio ducali* olim legatus a *Thoma* nostro *Haselbachio*, totus *Hermeneuticus* est, et exhibet: I. *Expositiones omnium Prologorum Hieronymi* in *Libros Biblicos*, quas hi *Versus* praecedunt:

Partibus expositis textus noua cura cor angit

Et fragiles humeros bonus importabile frangit.

Biblia praecedunt obscura proemia quedam.

De quibus ignoro quid ut expedit et decet edam.

Mens opus hoc horret sensus ignara laborem

Iussa subit sed iussa nequit removere timorem.

Cur quia nota sibi metuit succumbere moli.

Plus aliis de te quam tu tibi credere noli.

Im-